

1535 fendendas promptos esse oportere ; si ab ipso pendere christiana reipublicæ incolumitatem , ac dignitatem compertum sit , exercitibus suis aditu patefacto , nunquam a Christianissimis suis maioribus , qui in remotissimas provincias Gallica vexilla intulissent , degenerem futurum : quod vero ad communem pacem spectat , nihil ea sibi optabilius accidere posse ; modo ne Cæsar impedimento sit , quo minus quæ sibi Sabaudia Dux , ac Franciscus Sfortia per summam injuriam occupant , uti sibi videbitur , recuperare queat : an non magis decere Gallia Regem viribus , ac potentia clarum , affinem suum , quam egenum , bellicque præfidiis nudatum Principem , a quo nihil illi opis , aut emolumenti accedere possit , Insucribus potiri ? cur vero Pontifex , ac Veneti adeo Sfortia favent , ac ne Insucries in alicujus præpotentis Principis potestatem concedant , perhorrescunt , nisi , ut oblata opportunitate , per vim aliquando potiantur ? ad hæc supremum in Flandros , atque Atrebatenses se jus petere , quo jurisconsultorum sententia captivitate detentus minime cedere potuisse affirmabat : Cæsare his adsentiente , cunctis controversiarum , ac diffidiorum causis ablatis , novis nuptiis , atque affinitatibus arctiori vinculo pacis foedera adstringi posse : ni hæc fierent , ab iis , quæ proxime pepigisset , non recessurum . Multis hæc in Cæsarem querelis admixta erant , cum ob illius maritimos apparatus Christianorum Principum animos variis sollicitari suspicionibus , licet ipse secus crederet , affirmaret .

*Franciscus
Rex supremum
jus in
Flandros &
Atrebatenses
repetit .*

*Cæsaris per
Nassovien-
sem oratorem
ad Regem
Gallia ex-
positio .*

Ad quæ Rex cum Cæsaris responsum minime tulisset , cum illius legato graviter conquestus , multa in Carolum exaggeravit , quod Pontificem , atque Italos Principes ad novum faciendum foedus pro Italia incolumitate invitasset . Quibus permotus Cæsar ita per eundem oratorem Francisco respondit : summis laudibus se Regis pietatem extollere , quod dignis , ac justis poenis religionis violatores , ac transfugas afficiat : sibi statutum esse tuto loco Concilium cogi : nulla in re christianæ reipublicæ opem poscenti defuturum : tempus adesse , quo Rex haud dubiis argumentis propensum in commune bonum studium ostendat , si suas triremes cum pontificiis , & Cæsareanis jungat ; non enim terrestri exercitu , sed classe tantum ad egregia quæque agenda opus esse ; no-

lit-